



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Vita Hadriani Papae VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

HADRIANI PAPÆ VI. VITA. 575

clarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, condemnationis, subiectionis, excommunicationis & anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri ac Pauli apostolorum eius, se noverit incursum.

Data Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ 1520. xvii. Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno octauo.

Vifa. R. Milanefius
Albergatus.

VITA

HADRIANI PAPÆ VI.

ANNO
CHRISTI
1522.

HADRIANVS tenuis sed honestæ fortunæ parentibus VI. traiecti natus, Louanii studendo tantum profecerat, ut inter theologos facile primus haberetur. Qua de causa in Caroli V. præceptorem assumptus, atque in Hispaniam profectus, ibique episcopus & cardinalis creatus, post vices ibidem Caroli præclare gestas, tempore eiusdem Caroli V. imperatoris anno Domini 1522. quinto Idus Ianuarii, opera cardinalis Medices, atque omnium cardinalium consensu pontifex electus fuit. Quod cum illi apud Victoriæ urbem Cantabriæ moranti nuntiatum esset, Genuam maritimo itinere delatus, a principibus Galliarum summo honore visitatus est. Romam ingressus octauo Kalendas Octobris in Vaticano coronatus est pompa admodum tenui propter pestis calamitatem, quæ tum Urbem peruaferat. Nomen cum quibusdam aliis pontificibus non immutauit. Amplo & robusto erat corpore, sed viuaci ingenio. Nam cum cardinalis nepoti suo sacerdotium 70. aureorum annui redditus contulisset, vacassetque aliud, cuius proventus paulo pinguiore essent, vix adduci potuit daret illud, solitus dicere: Cupere se homines beneficiis dare, non beneficia hominibus. Ad rempublicam accedens, ob minimos rerum usus omnia fere aliorum arbitrio moderabatur. Bellum intulit Sigismundo Malatestæ, quem du-

Hadrianus
quando
pontifex
factus?

Res geste
Hadriani.

cis Ferrariensis atque Urbini auxilio fretus Arimino expulit, omniaque aduersus eos duces a Iulio & Leone decreta abrogauit. Cardinalem Soderinum ob datas aduersus pontificem & Carolum literas, in vincula coniecit. Rhodum tertium iam mensem grauissima obsidione periclitantem cum rescuisset, omnes curas & cogitationes in hoc conuertit vt illi succurreretur. Verum turbato tum rerum statu, arario profuso, infelici exitu obsidio terminata est. Multa quidem, vt erat ardenti zelo accensus, in ecclesiæ utilitatem præstiturus erat, si Godefridos, Tancredos, Balduinos, Robertosea ætas naçta fuisset. Ad clerum reformandum, corruptosque Urbis mores ingenii vires conuertit. Sanctum Antoninum Florentinorum antistitem, & sanctum Bennonem Germanum in sanctorum cœtum aggregauit. Cum intellexisset Franciæ regem Franciscum in Italiam cum potenti exercitu aduentare, pontifex Cæsaris partes fulsit, Anglis, Hungaris, Venetis, aliisque liberis Italiæ ciuitatibus in fœderis societatem adductus. Huius temporibus, inquit Surius, quoddam mire ridiculum accidit Vuittembergæ: Carolstadius enim & Melanchthon præcipui Lutheri discipuli & symmystæ, hausta occasione ex scriptis Lutheri, studiosis adolescentibus persuaferè, non esse dandam operam philosophiæ: Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & id genus alios, non nisi mera scripsisse commenta & imposturas, ideoque libros eorum Vulcano consecrandos; vni sacrorum biblicorum lectioni vacandum, neque fas esse hominem Christianum literis deditam acritare vitam: faciendum omnibus, quod in Genesi dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Et vt suam insaniam ex Lutheri primæuis fontibus ad se deriuatam magis proderent, Carolstadius ex archidiacono factus est agricola Vuittembergensis; Melanchthon in pistrino artem pistoriam meditabatur; plerique adolescentes artium liberaliū libris combustis mechanica opificia complexi sunt. A quo delirio dum Lutherus vtrumque a se infatuatum, versis velis ad mentem sanio-rem reduxisset, omnes ille catholicos reges ac principes scriptis suis calumniose traduxit. Hadrianus paulo post hæc incidit in morbum, ex quo commendata ecclesia & Christiana republica cardinalibus, diem clausit extremum, VIII. Kalendas Octobris anno Christi 1523. cum in pontificatu sedisset

Carolstadii
& Melan-
chthonis
deliria quæ:

Genes. 3.

Obitus
Hadriani
papæ.

HADRIANI VI. BREVE ADVER. LVTHER. 577
sedisset annum vnum, menses sex, diesque totidem. Post
obitum eius, duos menses, diesque quatuor sedes vacavit.
In sancto Petro sepultus est, hoc elogio exornatus:
HADRIANVS VI. HIC SITVS EST, QVI NIHIL SIBI IN-
FELICIVS IN VITA, QVAM QVOD IMPERARET, DVXIT.

BREVE HADRIANI PAPÆ VI.
AD FRIDERICVM SAXONIÆ DVCEM,
Aduersus Lutherum.

Dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem.

SATIS & plus quam satis sustinimus, dilecte in Chri-
sto, si forte Dei pietas tuam animam dignetur inui-
sere, ac dare pœnitentiam ad cognoscendum veritatem,
vt resipisceres a diaboli laqueis, a quo captiuus detineris.
Nouimus te paterne monitum a felicitis recordationis præ-
decessore nostro, vt a te separares perniciem illam Chri-
stianæ religionis Martinum Lutherum: & cum iam toti
orbi manifestæ essent scelestissimæ machinationes illius,
sperauimus & te ad cor pœnitens reuersurum.

Sed quoniam expectauimus vvas, & ecce quia frustra Jerem. 6.
conflauit conflator, malitiæ enim tuæ non sunt consumptæ:
coegit nos miseratio tui, coegit paternus amor, quo te, &
tibi subditos Saxones in Domino semper fuimus profecuti,
salutaribus & paternis monitis adhuc conuenire, vt vel
tandem resipiscatis, antequam plane in vos conueniat
quod mox subdit propheta: *Argentum reprobum vocate eos,* Ibidem.
quia Dominus protegit eos.

Et quid dicemus vobis, quam quod Galatis suis Paulus?
O insensati, quis vos fascinavit veritati non obedire? Curreba- Galat. 3.
tis bene: interrogate patres vestros, ac dicent vobis: maiores ve-
stros, & annuntiabunt vobis, quod ab ea ætate, qua vno eò- Dent. 32.
demque tempore vixere Hadrianus Romanus pontifex &
Carolus ille Magnus imperator, Saxonica fidei plantato-
res, ad nostra vsque & carissimi in Christo filii nostri Caroli
tempora, aui & proauis vestri atque adeo Saxones omnes,
semper habiti estis veluti pacis amatores, fidei propugnato-
res, per omnia obedientiæ pacifici filii: talesque vt non im-
merito Gregorius V. natione Saxo, olim Romanus pōtifex,

Concil. Tom. 34.

Dddd

Thren. 4.
Galat. 1.

Isai. 5.

Psal. 79.

Saxonix ducem in Romani imperatoris constituerit electorem. *Quomodo ergo tam cito mutatus est color optimus? Cur tam facile transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud euangelium, quod non est aliud, nisi sunt quidam, qui vos conturbant, & volunt conuertere euangelium Christi? Quis vineam Domini sabaoth tam pulcre plantatam est demolitus? Certe exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. Sed vix illud a vobis, a domesticis & amicis, a cruciatu præcordiorum. Obsecramus te fili dilecte in Christo, leua oculos tuos in directum, & vide vbi sis prostratus.*

Confidera quantam ecclesix Christi, tot malis vndique circumuallata ac pene oppressa, pro opera qua illi subuenire debueras, cladem insuper intulisti. Oppugnatur foris ab infestissimo illo ac potentissimo Christiani nominis hoste. Dissident intus principes reipublice Christiane, & in mutuam armati perniciem, cruentissimis inter se odiis conflictantur; & in fraterna viscera ferrum stringunt, vt vix Ethnici inter se crudelius. An hæc ita tibi visa sunt non satis graua, nisi contritionem induceres super contritionem, nutriens ac fouens serpentem illum in sinu tuo, qui veneno ligæ suæ ecclesiam & terras infecit adeo, vt nunc peruenerit gladius etiam vsque ad animam? Quanto autem pluris est anima quam corpus, tanto grauius est prædictis omnibus horrendum illud & plus quam Tartareum venenum, quo hæresion ac schismatum contagione tot myriades animarum interierunt, intereuntque. Ita tibi debemus omnes, quod nunc passim ab vnitæ matris ecclesie recedatur: Quod auertatur vulgus indoctum, ac bis mille præstigiis ac fascinationibus retrahatur a fide, quam suxit ab vberibus materno: Quod basilicæ sint sine plebibus, plebs sine sacerdotibus: sacerdotes sine debita reuerentia, & sine Christo denique Christiani: Quod sacramenta fidei, non sacra censeantur: Quod sanctuariū Christi, sanctum esse negetur: quod dies festi festiuis frustrentur solenniis: Quod moriantur homines in peccatis suis, rapiantur animæ ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec sacra communione muniti: Quod pulcerrimus ille tabernaculi ordo confusus sit, & pro Christiana pace ac tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia, cum magno ac manifesto Christiane reipublice discrimine, veluti classico

passim excitati. Pro quibus egregiis tuis in ecclesiam Christi meritis, quo te præmio, imo quo non supplicio dignum censebimus? At dices forte, Serpens me decepit. Dignam certe recepisti mercedem, qui illum nutriuisti in sinu tuo. Sed itane stultus es ac sine corde, ut in eis maxime rebus, in quibus errare damnari est, vni homuncioni cooperto peccatis, quam tot sanctissimis ab initio patribus, qui in lege Dei meditati sunt die ac nocte, & quam tot vniuersalibus Conciliis, aduersus quæ impudens os illud velut sepulcrum patens, se aperire non erubescit: sanctæ denique & catholicæ ecclesiæ, cuius ritum, consuetudinem & decreta, a temporibus apostolorum ad nos vsque inuiolabiliter obseruata, vnus iste sacrilega temeritate damnare præsumit, plus credere potueris? O cæcam dementiam, ac plus quam Iudaicam cæcitatem! At fortassis hoc tibi imposuit, quod veterator ille Martinus, & eius sequaces, de capitulis scripturarum visi sunt sua confirmare. Et quis tandem hæreticorum ita non fecit? An non hæ sunt veteris serpentis astutiæ, qui hac veluti esca obducto hamo miseris animabus mille technis & versutiis semper est insidiatus: quique, quo angularem infringeret veræ fidei lapidem, ac Christianam scinderet vnitatem, in scripturarum agrum suum seminare semen, & peruersam scripturarum intelligentiam iam pridem est aggressus? Cum itaque maxima semper pars ecclesiarum, imperita turba sit, & vix vnus reperiat aut alter, qui spiritualibus oculis de scripturarum intelligentia digne valeat iudicare: siquidem librum signatum legimus, *Apo. 5.* quem solus leo de tribu Iuda dignatus est aperire, ac soluere signacula eius: quæ tandem est ista diabolica excæcatio, vni carnali homuncioni, semper eructanti crapulam & potum, quam reliquo orbi vniuerso, quam tot spiritualibus patribus, quorum voluntas semper fuit in lege Domini, qui vitæ sanctimonia, ostensione spiritus, ac virtute, glorioso denique martyrio suam doctrinam comprobauerunt, in scripturarum intelligentia plus te fidei habere potuisse? O cæcitatem nouam & inauditam! Vnus apostata tibi potuit persuadere, fefellisse priores vniuersos, errare posteros, & in solum se & quos decepit peruenisse regnum Dei, peruenisse totas miserationum Dei diuitias, ac gratiam vniuersitatis? Et quid non dicimus cum propheta: *Heu, heu, heu, Jer. 4.*

Domine : ergone decepisti populum tuum ? Quin potius , cur non deuitatis (secundum apostolicum præceptum) quaestionibus ac pugnis verborum , ex quibus oriuntur inuidia , contentiones , blasphemia , suspiciones mala , conflictationes hominum mente corruptorum , & subuertunt corda audientium , ex operibus suis , iuxta dominicam designationem , studuistis cognoscere filium profanum istum , qui ad vos venit primum in vestimentis ouium , lupus intrinsecus rapacissimus ? Siquidem non ex foliis , non ex floribus , sed ex fructibus arbor cognoscenda erat.

Math. 7.

Annon manifesti sunt nequissimi fructus eius ? Siquidem sacrilegus hic aduersus Deum , imagines sacras , atque adeo ipsam Crucem Christi , sceleratis manibus confringere , & pollutis conculcare pedibus non formidat : contra sacerdotes Dei furore impio temerarie debacchans , non desinit laicos , ad lauandas sibi in eorum sanguine manus sedulo concitare : ecclesiam Christi parricidalibus armis oppugnans , hoc agit assiduo , vt suffocentur homines in peccatis suis : hoc vnum elaborat , ne diuina misericordia suis sacramentis , qua peccatorum remedia efficacia esse voluit , vulneratos in ecclesia sua curet . Ita enim ea aut sustulit vniuersa , aut hæreseos suæ pestifero infecit veneno , vt toxicum magis requirat , quam animarum medicinas .

Præcepit suis ne indignanti Deo quis satisfaciat : ne ieiuniis , orationibus , lamentationibus peccata redimat : ne hostia illa placens Deo , corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi a sacerdotibus offeratur quotidie pro peccatis nostris . Vota docet non reddere Domino Deo suo . Et cum ipse sit apostata , ac professionis suæ defector , vt plurimos sui faciat similes , sancta illa Deo vasa polluere non veretur , consecrataeque Christo virgines , & vitam monasticam professas , extrahere a monasteriis suis , & mundo , imo diabolo quem semel abiurauerunt , reddere . Quod in veteri lege in ymbiatricis sacerdotibus Dominus non tulit , quod Ethnici in idolorum suorum flaminibus omnes sunt abominati , Christi sacerdotes etiam vilissimis copulat meretricibus . Sanctos patres illos , quorum vita & doctrina illustrauit vniuersum mundum , non solum debito honore non prosequitur , sed multo quam Cain scelestius despicit , deridet , contemnit , infectatur .

Sacrosanctis omnibus vniuersalibus Conciliis impudenti ore palam contradicit, ac sacrilega lingua detrahit: libertatis specie licentiosam quamdam vitam, nullis constrictam legibus, ac vere ferinam, inducere conatur. Unde & exlex homo, contemptor ac violator legum omnium, in tantam erupit mentis vesaniam, vt sanctissimorum patrum decreta & ecclesiasticos Canones igne publico concremare non formidarit. Et breuiter Christianam veritatem, omnem rerum ordinem, pulcerrimam denique ecclesie faciem, a Christo, ab apostolis, apostolicisque viris ac sanctissimis patribus ab initio constitutam, vnus hic post tot centenos annos discindere, inuertere ac deformare molitur.

Quod si nondum fatis etiam internoscis, de Christiano magisterio, an de Antichristi spiritu ista proficiscantur: si ita fascinavit te prestigiator ille, vt credere possis vnum hunc perfidissimum apostatam, veluti alterum Eliseum habere duplicem spiritum Elie, aut alterum esse, quem se iactitat, Danielem, in quo sit spiritus amplior & intelligentia scripturarum maior, quam in omnibus olim sanctissimis illis doctissimisque viris, quam in sacrosancta ecclesia catholica, quid est te vno cecius? Aut si iam ex fructibus arborem cognoscens, in errore persistis tamen, quid te miserius?

Sed esto: transfiguratus sit coram te satanas ille in angelum lucis, & quæ manifesta sunt opera carnis ac diabolica, spiritus esse & Christi opera, venenata sua facundia persuadere potuerit. Numquid non vbique vel hoc ipso prodidit, cuiusnam spiritus sit, quod omnis eius sermo amarus est, virulentus, arrogans, ac maledicentissimus, nusquam non scatens conuiciis, blasphemis ac scommatibus plusquam venenatis, aduersus omne Christianæ pietatis, modestiæ, mansuetudinis ac benignitatis officium? Numquid ita docuit Paulus, cuius se iactitat spiritum habere, cum nulla eius extet epistola, quæ non pacem & vnitatem, ac alias id genus virtutes redoleat? An non Romanos suos hortatur in Domino, vt in caritate fraternitatis se diligant inuicem, sectentur quæ sunt pacis, & quæ ædificationis custodiant? Corinthiis annon testatur, se docere in ecclesiis, Deum, non dissensionis, sed pacis

Deum esse? Et breuiter, numquid non vbique clamat, vbique docet euangelica illa tuba, vt digne ambulemus in omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in caritate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vtque deponamus omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem? Quo igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indignationem, blasphemiam, inflationem, iactationem, quæ ita huic peculiaria sunt, vt illa Paulo, ac illius discipulis vniuersis, qui mitis est ac humilis corde: non Paulini, non Christiani, sed diabolici spiritus esse certissima indicia, vel cæco non clarissime appareat?

Ex verbis illius quomodo non intellexisti, Christum in corde suo, an vero Antichristum haberet, secundum quod ipsa Veritas in euangelio ait: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? De abundantia enim cordis os loquitur.* Et cum scriptum sit, quod *maledici regnum Dei non possidebunt*: Item cum in euangelio dicat Dominus: *Quicumque dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio: Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ incendio.*

Illumne esse Antichristi apostolum, cuiquam obscurum esse poterit? qui non modo sacerdotes Dei, sed & principem sacerdotum Petri successorem, Iesu Christi in terris vicarium, tam nefandis infamibusque nominibus, tam inauditis contumeliis, conuitiis, ac blasphemis, nunquam non lacerat, discerpit & infectatur, vt ea commemorare pudica refugiat lingua, & audire horreant aures castæ: Qui apostolicam cathedram, in qua præsedet caput apostolorum Petrus, cui præfuerunt tot sancti pontifices, quam ecclesiam principalem, vnde sit exorta vnitas sacerdotalis, sanctus ille & gloriosus martyr Cyprianus, non dubitat asserere, impio ac pestilenti ore cathedram pestilentis, antichristianam, diabolicam, & si quæ potuit excogitare nefandiora, toties appellare non cessat: Qui scholas Christianas, quæ tam multos doctissimos sanctissimosque viros, tam egregias in ecclesia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua sua, lupanaria, Sodomas & Gomorrhæas vbique vocare non verecundatur: Qui non fatis habet, omnipotentis Dei sacerdotes probris omnibus, conuitiis, contumeliis, ac blasphemis

horrendis & inauditis, nunquam non publice ac priuatim infectari, quibusuis viliores facere, nisi etiam laicos concitet ad lauandas sibi manus in sanguine ipsorum: Cum tamen quanto honore haberi velit sacerdotes suos, maxime autem principem sacerdotum, idem ipse Dominus in Deuteronomio testatus est, dicens: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem: & facies quæcumque dixerint, qui præsumt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Et Samuel cum sperneretur a filiis Israel, annon dicit Dominus: *Non enim te spreuerunt, sed me, ne regnem super eos:* manifeste ostendens, inuisibilem se contemni, cum visibilem quis spernit sacerdotem? Quare & Moses murmuranti aduersus se populo respondit: *Non aduersus me mururastis, sed aduersus Dominum Deum vestrum.* Quod si Leuiticos illos sacerdotes tanta honoris prærogatiua præcellere voluerit Dominus, qui exemplari tantum ac vmbrae deferuiebant caelestium, in vmbatico illo tabernaculo sacrificiorum officia consumentes: quo tandem honoris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claves regni caelorum? tantamque tribuit potestatem, ut quæ ligarent super terram, ligarentur & in caelis: & quæ soluerent super terram, soluta essent & in caelis: utque quorum ipsi dimitterent peccata, dimissa forent: quorum retinerent, forent & retenta? Qui non sanguinem hircorum aut vitulorum, sed hostiam viuam, sanctam, immaculatam, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi offerunt quotidie pro peccatis nostris, conficiunt verbo suo ac manibus tractant? breuiter sacramenta omnia, quibus hominibus vita salusque tribuitur animarum, suis perficiunt orationibus? Quanto, inquam, honore hos præcel-

Deut. 17.

1. Reg. 8.

Exod. 16.

Math. 16.

lere voluerit Dominus, quis tandem dubitabit, quod nec
Luc. 10. ipse tacuit in euangelio, cum dixit ad eos: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit & eum qui misit me?* Et quid consequitur? quod in eundem Christum blasphemus est & maledicus, qui sacerdoti Christi blasphematur aut maledicitur. Annon hoc
Exod. 20. primum mandatum in retributione: *Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram?* *Deut. 5.* *Qui autem maledicit patri aut matri, morte moriatur.* Numquid ad carnales tantum parentes illud est referendum? Et num minus ad eos qui nos in Christo regenerauerunt, per quos Christiani sumus, qui nobis peccata dimittunt, qui cælestibus nos pascunt sacramentis? Quid si peccatores sunt & mali sacerdotes? Quid si & parentes? Numquid propterea eos non honorare, aut eis maledicere licebit? Numquid non & Iudas erat inter eos, quos Dominus misit ante faciem suam, & ad quos dicebat: *Luc. 10.* *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo aut ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.* *Matth. 10.* *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicii, quam illi ciuitati.* Annon præcepit ita Apostolus: *Hebr. 13.* *Obedite præpositis vestris, & subiaceate eis?* Quod si malis & peccatoribus non fit obediendum, quibus tandem? Quoniam, *1. Ioan. 1.* *si dixerimus, Peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ouis es, noli discutere pastorem: noli te iudicem Dei constituere & Christi. Annon ita præcepit Dominus in euangelio, dicens? *Matth. 23.* *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Pharifæi: omnia quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite: Si quæ autem fecerint male, facere nolite:* manifeste significans, habere eos dignitatem, tametsi vitæ essent perditæ. Numquid idem Dominus, cum postea tempore passionis alampam accepisset a seruo sacerdotis, dicenti sibi: *Ioan. 18.* *Sic respondes pontifici?* aduersus pontificem quidquam dixit contumeliose? quin magis innocentiam suam asserens & ostendens: *Si male, inquit, locutus sum, exprobra de malo: sin bene, quid me cædis?* Annon & Paulus, cum cæderetur in concilio iussu Ananiæ, diceretque ad eum: *Act. 23.* *Percutiet te Deus, paries dealbate: Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti:* audiens ab astantibus: *Sic insimulas sacerdotem Dei, maledicendo ipsum?* tamen inane no-
 men

nomen & vmbra[m] quamdam sacerdotis cogitans expa-
 uit? *Nesciebam*, inquit, *fratres*, *quia princeps est sacerdotum.* Act. 23.
Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices. Exod. 22. Quo ma-
 gis miramur, quod ex istis diabolici spiritus operibus,
 veluti fructibus nequissimis arborem pessimam nondum
 cognouistis. Et quis tandem est ita hebes animo, vt non
 videat quo nunc prorumpant furiosissimi conatus istius,
 cum vt quisque est facinorosissimus, desperatissimus, aut
 perditissimus latro aut homicida, sub istius vexillis ac si-
 gnis conueniant? Ecclesiam iam Christi parricidalibus ar-
 mis ac sacrilegis manibus non clam, sed palam oppugnan-
 tes, consecrata Deo loca, templa & monasteria exurunt
 & profanant: Christo dicatas virgines, sacerdotes Chri-
 sti & monachos crudelissime persequuntur, ecclesiarum
 bona diripiunt: & breuiter, rapinis, latrociniis, cædibus,
 incendiis, confundunt vniuersa: excæcante nimirum eos
 iusto Dei iudicio, & in insaniam tam manifestam erumpere
 permittente, vt neminem iam latere possint scelestissimæ
 machinationes istius. Atque hi, qui pestifera contagione
 ipsius infectos sese nunc tandem cognouerunt, schisma-
 tico errore deposito, ac hæretico furore deserto, vnitatis
 ac veritatis domicilium fidei sanitate repetunt. Inter quos,
 dilecte nobis in Christo Iesu, cum a te non ex postremis re-
 uersurum ad salutarem matris sinum sperauissemus, quem
 reuertentem libenter & obuiis excepissemus manibus:
 bona spe tandem nostra frustrati, videmus supra petram
 indurauisse te faciem tuam: videmus perniciem illam a-
 nimarum Lutherum sub tuo patrocínio latitantem, suum
 adhuc virus longe lateque spargere. Sed quoniam adhuc
 potens est Dominus Deus etiam de lapidibus istis suscita- Matth. 5.
 re filios Abrahæ, antequam egrediatur vt ignis indignatio
 eius, & succendatur, nec sit qui extinguat: idéo te, fili
 dilecte in Christo, obsecramus per viscera nostri Redem-
 ptoris Domini nostri Iesu Christi, per Christianam vni-
 tatem, per patriæ caritatem, per tuam denique ipsius tuo-
 rumque salutem, miserere ecclesiæ Christi, & tot iam
 malorum procellis vndique exagitatae ac pene oppressæ,
 tua maxime culpa, aliquando fer opem: miserere patriæ
 nostræ, quæ sinceræ olim fidei, eximiæ religionis, sanctæ
 sub iugo Domini ac religiosæ obedientiæ insigni præcel-
Concil. Tom. 34. Eccc

lens gloria, perniciem istam religionis Christianæ, ac fidei ac pietatis publicum hostem Martinum, in suis se reperisse ac fouisse visceribus nunc erubescit. Miserere denique tui ipsius, tuorumque misere seductorum Saxonum. Quos, nisi respiscatis, & quidem cito, manet præsens & certa ultio diuina, quam neque in hoc sæculo effugietis, neque in futuro. Hæc dicit Dominus Deus: *Audi, popule stulte, audi princeps qui non habes cor: qui habetis oculos & non videtis: aures, & non auditis: Me ergo non timebitis, & a facie mea non dolebitis?* numquid non audistis, quæ fecerim in diebus antiquis? Legite scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, & inuenietis, quam grauis semper fuerit, & quam terribilis diuina vindicta in illos qui in populo Dei schisma concitauerunt. Numquid non legistis horribilem diuinam ultionem aduersus Dathan & Abiron, quod multitudinem aduersus Mosén concitauissent, quos dehiscens sub pedibus terra, & aperiens os suum, deglutiuit, & omnia quæ ad eos pertinuerunt, ita vt descenderent viuentes in infernum? Et aduersus Core, quem eandem ob causam cum ducentis & quinquaginta viris cælestis flamma deuorauit. Quod si ob durius imperium fortassis, aut quorundam pastorum seu ignauiam, seu malitiam schismata excitanda putatis: numquid non ex libro Regum audistis adeo indignatum fuisse Dominum aduersus decem tribus filiorum Israel, & in omne semen eorum, vt dimoueret eos & tradiderit in direptionem, donec proiiceret eos a facie sua? Ob quam tandem culpam, nisi quod ob durius imperium Salomonis, & imprudentius arrogantiusque responsum Roboam regis Ierusalem, scissæ fuerunt a tribu Iuda & Benjamin? Quam præsens semper fuerit Dominus vindex sacerdotibus suis, an non Saul ab regio abiectus honore, & Ozias rex Iuda percussus lepra, propterea quod quæ sacerdotum erant, contra sacerdotes Domini sunt ausi vsurpare, sufficienti vobis potuerunt esse argumento? Et breuiter, annon omnes testantur historiæ, vniuersos vltice Domini manu infelice periisse exitu, qui in christos Domini sacrilegas manus iniicere non formidauerunt? Contra autem, felicia omnia, & longam illis contigisse vitam, qui Christum in sacerdotibus suis venerati

*Jerem. 5.**Iohn. 5.**Num. 6.**4. Reg. 17.**3. Reg. 12.**1. Reg. 15.**2. Paral. 26.*

sunt? Moueant ergo vos exempla aliorum, & cogitate quid vobis sit expectandum, qui venerabilem Dei chorum in manus tentatis tradere profanas. Proinde quod Dominus per Moſen præcepit vniuerſo populo Iſrael, vt ſepararentur a tabernaculis Core, Dathan & Abiron, nec tangerent quidquam quod ad eos pertineret, ne inuoluerentur in peccatis eorum: hoc & vobis, præcipue autem tibi, dilecte fili, eiufdem Domini noſtri auctoritate præcipimus, & obſecramus in Chriſto Ieſu, vt ſeparemini a Martino Luthero, auferatis a vobis petram illam ſcandali, neque tangatis quod illius eſt, ne & vos diuina ultio inuoluat ſubito in peccatis illius. *Expurgate quamprimum fermentum illud, quod reliquam fidei veſtræ maſſam corrumpit, vt ſitis noua conſperſio, nouaque creatura.*

Non dedigneris, fili dilecte, Paulum imitari, quem ſicut vicisti in eccleſiæ Dei perſecutione, tam grauem animarum perniciem ſub tuo nutriens patrociniſ: ita reuerſus ad cor, effice vt omnes intelligant tuam conuerſionem: vtque qui per te ſunt ſcandalizati, in te rurfus glorificent Deum. Maxime autem hoc præſta quamprimum, vt impurum os illud obſtruatur, vt capuletur blaſphemia lingua, quæ contra Deum ac ſanctos eius loqui non ceſſat, & virus ſuum vndique ſpargit. Et vt propheticis vos verbis admoneamus, *State ſuper vias, & videte ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* State, inquam, & doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, per quam ambulauerunt patres veſtri, quam demonſtrauerunt tot myriades martyrum, docueruntque tot millia confessorum, & ambulate in ea.

Quod ſi a vobis impetrauerimus, ſicut & ſincere ſperamus, erit quod gaudeamus cum angelis de peccatore poenitentiam agente, & perditam rurfus inuentam ouem humeris noſtris ad ouile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, ſtolam vobis priſtinam reſtituemus.

Quod ſi dixeritis, *Non ambulabimus: & paterne ſalubriterque vos monenti respondebitis, Non audiemus. Ideo audite gentes, dicit Dominus, & cognoscite, congregationes, quantum*

ta ego faciam eis. Ecce ego adducam mala super populum istum fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Sed & hoc tibi denuntiamus in virtute omnipotentis Dei & Domini nostri Iesu Christi, cuius in terris vicarius sumus, nec te in presenti sæculo hoc latu- rum impune, & in futuro æterni te ignis expectare incen- dium. Viuunt vna pontifex Hadrianus & religiosissimus imperator Carolus, meus carissimus in Christo filius & a- lumnus. Cuius tu edictum vere Christianum aduersus Lu- theranam perfidiam, & quod talem decebat imperato- rem, non sine graui offensa ac vilipensione Cæsareæ ma- iestatis violare non timuisti. Non commitemus, vt quos olim cum Magno Carolo Hadrianus pontifex in Christo genuerunt, nunc Hadrianus pontifex & imperator Caro- lus sub schismatico ac hæretico tyranno, hæreseon ac schi- smatum sinamus interire contagione. Quare reuertimi- ni ad cor, & respiscite tu tuique misere seducti Saxones, nisi vtrumque gladium, apostolicum simul & Cæsareum, olim velitis experiri.

Scripta Romæ anno Domini millesimo quingentesimo vigesimosecundo.

BREVE HADRIANI PAPÆ VI.
AD INQUISITOREM COMENSEM.

Inquisitoribus hæreticæ prauitatis datur facultas proce- dendi contra incantatores, sortilegos, diabolo obe- dientiam præstantes, fidem abnegantes, &c.

Hadrianus episcopus, &c. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem.

DV D V M, vt nobis exponi fecisti, per felicitis recor- dationis Iulium papam secundum prædecessorem nostrum, non sine magna tunc animi sui displicentia ac- cepto, quod per quemdam Georgium de Casali, ordinis fratrum Prædicatorum professorem, & in ciuitate Cre- monensi hæreticæ prauitatis inquisitorem deputatum, in nonnullis Lombardiæ partibus, & præsertim in locis, in quibus dictus Georgius inquisitor deputatus erat, reper- tæ fuerunt quamplures vtriusque sexus personæ, propriæ salutis immemores, & a fide catholica deuiantes, certam

sectam facientes; fidem, quam in sacri susceptione baptismatis susceperunt, abnegantes, sanctam crucem pedibus conculcantes, & opprobria super eam perpetrantes, ecclesiasticis & praesertim eucharistiae sacramentis abutentes, diabolum in suum dominum & patronum assumentes, eique obedientiam & reuerentiam exhibentes, & suis incantationibus, carminibus, sortilegiis, aliisque nefandis superstitionibus, iumenta & fructus terrae multipliciter laedentes: aliaque quamplurima nefanda, excessus & crimina eodem diabolo instigante committentes & perpetrantes, in animarum suarum periculum, diuinæ maiestatis offensam, perniciosumque exemplum, & scandalum plurimorum.

Contra quas cum dictus Georgius tunc, ut assererat, in dictis locis suae inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgii incumberebat officio, ipse Georgius processisset: nonnulli autem tam clerici quam laici illarum partium, quaerentes plus sapere quam oportet, praemissa delicta ad eiusdem Georgii inquisitionis officium non pertinere temere asserentes, praesumentes in populo errores & scandala seminauerunt: sicque eundem Georgium in populo odiosum reddere, & dicti Georgii officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediebant: ita quod propter praemissa, personae praedictae delicta huiusmodi perpetrantes, remanebant impunitae, & aliae eorum exemplo ad similia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum, & scandalum plurimorum.

Dictus praedeceffor volens (ne inquisitionis officii executio quomodolibet retardaretur, & labes haereticae prauitatis longius venena diffunderet) prouidere, dicto Georgio per quasdam suas in forma breuis literas commisit & mandauit, quatenus in locis eiusdem Georgii inquisitioni deputatis, de excessibus huiusmodi cognoscere, & contra quascumque personas, cuiuscumque conditionis & praeminentiae forent, inquisitionis officium exercere & exequi; ipsasque personas, quas in praemissis culpabiles reperiret, vna cum locorum ordinariorum vicariis, quatenus voluissent interesse, iuxta dictarum personarum demerita corrigere & punire deberet, secundum modum

contra alios hæreticos a iure ex sacris Canonibus statutum : contradictores quoscumque per censuram ecclesiasticam, & alia iuris opportuna remedia comescendo. Eos vero qui in præmissis, consilium, auxilium vel fauorem præstarent, præfatus prædecessor noster, eisdem indulgentiis vti & gaudere decreuit, quibus Crucesignati contra alios hæreticos, ex indulto apostolico eis concessõ, tunc gaudebant & vtebantur, prout in dictis literis plenius contineri dicitur.

Et sicut eadem expositio subiungebat, non solum delicta & crimina huiusmodi contra fidem catholicam & Christianam religionem, sub iurisdictione inquisitoris Cremonensis committuntur & perpetrantur; sed omnibus aliis locis & diocæsis sub iurisdictione aliorum inquisitorum dicti ordinis congregationis Lombardiæ, in dies perpetrantur & committuntur. Et cum eadem sint delicta, eadem profecto prouisione & castigatione eis est earundem literarum tenore prouidendum. Quare tu, sicut asseris, in ciuitate Comensi, vbi dictæ prauitatis inquisitor existis, tam tuo, quam omnium aliorum dictorum ordinis & congregationis hæreticæ prauitatis inquisitorum vbilibet consistentium & deputatorum nominibus, fecisti nobis humiliter supplicari, vt literas prædictas ad vos extendere & ampliare, aliasque desuper opportune dignaremur prouidere.

Nos igitur huiusmodi supplicationi inclinati, literas prædictas, cum omnibus in eis contentis clausulis, in omnibus & per omnia, prout in eisdem literis continetur, ad te, & ad alios ordinis & congregationis huiusmodi inquisitores, tam impræsentiarum deputatos, quam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac si tibi, & cuiilibet inquisitorum prædictorum dirigerentur, & directæ fuissent, apostolica auctoritate, tenore præsentium extendimus; ipsasque literas tibi & illis, vt præmittitur, eisdem auctoritate & tenore concedimus;

Non obstantibus omnibus illis, quæ idem Iulius prædecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Et quia difficile foret præsentem literas ad singula loca, in quibus de eis fides forsân fuerit facienda, deferre: volumus

CLEMENTIS PAPÆ VII. VITA. 591

& apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transfumptis, manu cuiuscumque notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius curiæ, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vigesima Iulii, millesimo quingentesimo vigesimotertio, pontificatus nostri anno primo.

Euangelista.

VITA

CLEMENTIS PAPÆ VII.

ANNO
CHRISTI
1523.

CLEMENS, cui antea Iulii nomen erat, Iuliani Medici filius, a Leone patruale primum archiepiscopus Florentinus, mox cardinalis creatus, vniuersæ reipublicæ curam suscepit. Quæ bene administrata, post Hadriani mortem, cardinalibus Columna, & Cornario fauentibus, pontifex renuntiatus est, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimotertio, decimoquarto Kalendas Decembris, tempore Caroli quinti imperatoris. Tertio pontificatus anno iubileum celebrauit. Post Borbonii a Gallis defectionem, Clemens Caroli potentiam pertimescens, inita prius cum Venetis societate, sese medium inter utrosque constituit, & eorum dissidia componere summo studio conatus est. Columnenses ingentibus coactis copiis instructi ad regnum Neapolis pro Carolo custodiendum, adsunt cum Hugone Moncada, ædesque pontificis, nil tale metuentis inuadunt. Is fuga arrepta, in Æliam arcem se recepit, neque inde egredi ei licuit, quin Columnensibus venia promissa, exercitum e Gallia cisalpina reuocandum in se reciperet. Principibus tamen viris intercedentibus, & prorege Lanoio conciliante, ad pacem ventum est, & pontifex omnem exercitum dimittit. Quod vt sensit Borbonius, illico exercitum Cæsaris Romam admouet, Urbem contra fidem publicam capit, & diripit miserrime: quod facinus nemo antea Gothorum & Vandalorum temporibus ausus fuerat. Clemens in

Clemens
quando
pontifex
factus?

Clemens
captus.

Roma ca-
pta.